

§ 2. QUI SINT EFFECTUS SUSPENSIONIS.

615. I. Suspensus per se **sub gravi** tenetur abstinere ab iis a quibus suspensus est. Quandoque tamen parvitas materiae a peccato gravi excusare potest, ut si suspensus a jurisdictione recipiat unum testem. (Ball. P. n. 500) Attamen in ordinibus exercendis haberi nequit materiae parvitas, siquidem actus ordinibus sacris adnexi natura sua sunt graves. (Suar. de Cens. disp. 34. sect. 4) Excipit S. Alph. (n. 313) cum Salmant. (de Cens. c. 5. n. 24) casum quo sacer ordo non sollemniter exercetur, ex. gr. epistolam sine vestibis sacris canendo.

Multum tamen refert utrum suspensus sit publice denunciatus seu vitandus an toleratus. Si vitandus est, peccant graviter qui cum eo communicant in actibus a quibus suspensus est, saltem si ii sunt actus jurisdictionis, cum hi sint invalidi (nisi suspensus sit a solo ordine), vel si eum extra casum necessitatis inducunt ad exercendos actus a quibus suspensus est, ut puta ad Missam a qua suspensus sit celebrandam; minus arte iis actibus participare, puta audiendo Missam suspensi vitandi, levem culpam non excedit. Si vero toleratus est suspensus, peccat sane si sponte se ingerit functionibus sibi prohibitis, probabiliter vero non peccat si eas functiones exercet tantum ab aliis propter utilitatem requisitas, utputa si parochus qui incurrit suspensionem, sed non est denunciatus, celebrat Missam, petentibus parochianis. Immo, etiamsi sponte absolutionem daret, actus valeret, quia jurisdictio ipsi non auferitur. Ratio est: ea quae Martinus V concessit de communicatione cum toleratis (n. 581), e tenore Bullae, ad suspensos pertinere aequae ac pertinent ad excommunicatos. (S. Alph. n. 139 seqq. et 313; Hilarius, op. cit. p. 78 seqq.)

Suspensus ab ordine superiore, licite exercet inferiorem. Suspensus ab ordine inferiore, juxta multos (D'Annib. I. n. 380. nota 10), nequit exercere superiorem; sed probabilius tenendum est contrarium (Salmant. l. c. n. 32 seqq.), eo quod in odiosis non est faciendae extensio ad ea quae non sunt expressa, neque ullo positivo jure eadem extensio probatur.

616. II. Suspensus ab ordine per sententiam Ordinarii sui tenetur **ubique** ab ordinibus majoribus exercendis abstinere: jus enim commune sancit ut ubique servetur sententia episcopi, quae certe quolibet exercitio ordinis violaretur.

Suspensus a jurisdictione probabilius non prohibetur quominus jurisdictionem in alia dioecesi accipiat: non apparet enim quo jure episcopus hujus alterius dioecesis impediri possit a suspensionis auctore, quominus cuilibet jurisdictionem impertiat. (Ball. P. n. 502)

Plures tamen, ut Bonacina (de Cens. disp. 3. p. 3. n. 7), contrarium opinantur, quia suspensionem intuentur ut quamdam inhabilitatem quae suspensum comitetur, quocumque pergat.

Suspensus ab ordine vel ab officio, non prohibetur quominus sacramenta, ex. gr. poenitentiae et Eucharistiae, accipiat, ut e natura suspensionis liquet. Supponimus eum a contumacia recessisse, quando suspensio per modum verae censurae lata est. Multi excipiunt receptionem ordinum: quippe qui recipiantur ut functiones eorum exercentur, ac proinde quibus vetitum est functiones exercere, videtur quoque illicitum ordines recipere. Alii tamen, ut Bonacina (l. c. p. 2. n. 15), Ball. P. (n. 503), hanc exceptionem rejiciunt: quia receptio ordinis non est actus officii aut jurisdictionis, neque ordinatus tenetur necessario ad ministrandum in ordine suscepto. Praeplacet haec sententia, cum in odiosis nulla extensio faciendae sit sine argumento manifesto. Ceterum et ipsa S. Sedes, cum aliquem suspensum ab ordinibus susceptis, prohibere vult a superioribus recipiendis, hanc inhabilitatem ut poenam distinctam profert, ut videre est in Decr. S. C. C. 25 Maii 1893 cit. n. 620. XV.

517. III. Irregularitatem incurrit qui suspensionem ab ordine violat, exercendo functiones ordinis a quo suspensus sit. Qua de re dicitur ubi de irregularitatibus n. 633.

Hic tantum solvemus quaestionem: num irregularitatem incurrat qui per exercitium ordinis violet suspensionem ab ordine latam in perpetuum vel ad tempus definitum. Probabilius ducimus cum D'Annib. (l. n. 386) eam non incurri: quia irregularitas non incurritur nisi per violationem censurae proprie dictae, qualis non est hujusmodi suspensio. (n. 563) Excipiendus tamen est casus quo R. P. hujusmodi suspensionem tulit, cum expressa lege, ut is qui illam violet, irregularis fiat: quod quandoque factum est, ex. gr. 6ⁱ Decr. l. 2. t. 14. c. 1. Qui autem violasset suspensionem *ex informata conscientia* latam (n. 614), in foro externo haberetur ut irregularis: cum ita statuerint S. C. C. 21 Jun. 1625 (Bened. XIV, de Syn. l. 12. c. 8. n. 5) et S. C. de Pr. Fide, Instr. cit. (n. 11) Pro foro tamen interno non caret probabilitate sententia contraria, quam tuetur D'Annib. (l. c.), saltem ubi non verificantur ea quae ad veram censuram requiruntur, ut si imponeretur tantum ob crimen mere praeteritum, vel prorsus relicta culpa ad cujus emendationem infligeretur. Tandem probabilius non est irregularis qui violat suspensionem ore tenus latam. Cum enim censura (excepto casu specialis privilegii) semper scripto ferenda sit, Superior censendus est noluisse excedere suae potestatis limites: quare et suspensio, ore tenus lata, praesumenda est mera prohibitio. (Bus. ap. S. Alph. n. 317)

§ 3. QUAE NAM SUSPENSIONES HODIE VIGEANT.

Suspensio specialiter Rom. Pont. reservata.

618. Suspensionem specialiter S. Sedi reservatam ab exercitio Pontificalium incurrunt quicumque, caractere episcopali insigniti, suscipere audent, ante exhibitas litteras Apostolicas, curam, regimen et administrationem ecclesiarum vacantium ad quas nominati, praesentati vel electi fuerint. (Const. *Romanus Pontifex*, 28 Aug. 1873) Cfr. n. 592.

Suspensiones simpliciter Rom. Pont. reservatae.

I.

Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis, Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis, seu Monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.

II.

Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta. (1)

III.

Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum, etiam sub praetextu beneficii statim conferendi aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus episcopi litteris dimissorialibus; vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.

(1) Antiquo Jure cautum erat ut qui absque titulo ordinatus esset, ipso facto ab exercitio ordinis suspensus foret: quae suspensio postea restricta est ad clericos qui, promoti sine titulo, promisissent se non esse alimenta petituros. Hodie vero, cum Const. *Apost. Sedis* poenam suspensionis contra solum ordinatorem conservaverit, ordinatus sine titulo, vel postea titulum amittens, nullas poenas latae sententiae incurrat, nec per se ab ordinibus exercendis prohibetur, etiamsi ob malam fidem graviter peccaverit. (D'Annib. I. n. 412. nota 42; Gasp. de S. Ordin. I. n. 613) Cfr. Instr. S. C. de Prop. Fide 27 Apr. 1871 (Coll. P. F. n. 1179): "Quodsi amisso titulo generatim, aut etiam titulo Missionis, alter ei non substituatur, sacerdos haud propterea remanet suspensus."

IV.

Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrat, qui, excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua sollemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

V.

Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes.

619. *Suspensionem perpetuam*, vid. tamdiu duraturam quamdiu manebunt in sua condicione ejecti, seu, ut in ipso tenore censurae dicitur, quamdiu extra religionem degent.

Religiosi. Hac voce, cum in odiosis versemur, intelleguntur soli Regulares. (n. 74) Sed quid de aliis post editam Const. *Apost. Sedis* statutum sit, mox dicemus.

Ejecti. Non comprehenduntur nisi qui in sensu stricto ejecti fuerint qua incorrigibiles, et servata forma decretis S. C. C. 21 Sept. 1624 et 24 Jul. 1694 praescripta, vel alia faciliore quae a S. Sede, tamquam aequivalens, concessa fuerit. Igitur hic neque fugitivi, neque apostatae intelleguntur, neque illi etiam qui, ob causam manifeste injustam vel non servato ordine juris, expulsi fuerint. (Piat. in h. l.)

Latus patet duplex poena suspensionis quae decreto S. C. Ep. et Reg. 4 Nov. 1892, *Auctis admodum* quibusdam religiosis imposita est. Nempe:

1^o "Alumni votorum sollemnum vel simplicium perpetuorum vel temporalium in ss. Ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneat, donec a S. Sede alio modo eis consulatur, ac praeterea episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint." Igitur qui ob delicta sua ejecti vel dimissi fuerint, ea norma quae in cit. decreto (n. 3) explicatur, suspensione ligantur donec S. Sedes cum ipsis dispenset; condiciones autem quibus haec dispensatio, saltem regulariter, adnectitur, sunt duae, quae ex resp. S. C. Ep. et Reg. 20 Nov. 1895 (Act. S. S. t. 28. p. 560) copulative sumendae sunt, nempe ut invenerint episcopum qui sponte eos in clerum suum cooptare velit (nullus enim jam ad eos cooptandos tenetur) et sibi de ecclesiastico patrimonio providerint. (n. 438) Haec posterior condicio videtur sumi posse cum iis temperamentis quae forte in dioecesi episcopi benevoli receptoris legitime vigeant.

2^o "Qui in ss. Ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti sive

perpetuis, sive temporalibus, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporaneis dispensati fuerint, e clastro non exeant, donec episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint; secus suspensi manent ab exercitio susceptorum Ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium qui quovis professionis vinculo jam forent soluti, ob elapsam tempus quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata. „ Igitur etiamsi sponte dimissi vel elapso votorum tempore exeuntes, suspensionem ab ordine incurrunt, si e clastro egrediantur antequam episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint. Haec tamen suspensio, ex cit. resp. S. C. Ep. et Reg. 20 Nov. 1895, ipso facto cessat, quando duae istae condiciones impletae sunt, neque ad eam tollendam ad S. Sedem recurrendum est. (1)

VI.

620. Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eundem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspensio, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

VII.

Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario, posteaquam in praedicto examine rejecti fuerint: necnon clerici pertinentes ad aliquem e sex episcopatibus suburbicariis; si ordinentur extra suam dioe-

(1) Facile contingit ut miserrima et ipsi statui clericali probrosa evadat condicio religiosi ejecti vel dimissi, quem nullus episcopus recipere velit. His malis occurrere voluit S. C. super disciplina Regulari. Quare, ut notum est e Litteris Em. Praefecti 16 Aug. 1898 (Act. S. S. t. 31. p. 631), statuit ut iis Regularibus qui gratia vocationis destituti vel aliam ob causam rationabilem, extra claustra degere velint " facultas tribueretur manendi extra claustra, habitu regulari dimisso, ad annum: quo tempore s. patrimonium sibi constituerent, episcopum benevolum receptorem invenirent, atque deinde, pro saecularizatione perpetua, iterum recurrerent, et interim Sacra facientes, verbum Domini praedicantes, fidelibus populis pia conversatione prodesse valerent. „ Perdurante hujusmodi concessione vel ejusdem a Sede Apostolica prorogatione, Ordinarius poterit, quamvis minime teneatur, horum religiosorum ministerio in sua dioecesi uti, nisi hi fuerint aliqua speciali censura irretiti.

cesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt: episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

VIII.

Episcopus qui Pontificalia in alterius dioecesi exercet sine Ordinarii loci expressa licentia, incurrit suspensionem ab exercitio Pontificalium: sic ordinati ab executione ordinum sunt ipso jure suspensi. (Trid. Sess. 6. de ref. c. 5)

IX.

Qui artati occasione beneficii recepti, sive recipiendi non fuerint, et sede vacante, infra annum a die vacationis per litteras dimissorias a Capitulo acceptas, majoribus Ordinibus initiati fuerint, ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Praelati, ipso jure suspensi sunt. (Trid. Sess. 7. de ref. c. 10)

X.

Suspensionem ab exercitio Pontificalium per annum incurrunt episcopi titulares qui alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis continuae commensalitalis suae, absque sui proprii Praelati expresso consensu, aut litteris dimissoriis, ad aliquos sacros aut minores Ordines, vel primam tonsuram promoverint; taliter vero promotus ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Praelato visum fuerit, ipso jure suspensus est. (Trid. Sess. 14. de ref. c. 3)

XI.

Qui ordinat alienum subditum sine litteris testimonialibus, i. e. quibus ordinandi probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur, suspensionem a collatione Ordinum per annum incurrunt; ordinatus vero a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, suspensus est. (Trid. Sess. 23. de ref. c. 8)

XII.

Abbatas et alii exempti, aut collegia vel capitula quaecumque, etiam Ecclesiarum cathedralium, litteras dimissorias aliquibus clericis saecularibus concedentes, ut ab aliis ordinentur, ab officio et beneficio sunt ipso jure suspensi. (Trid. Sess. 23. de ref. c. 10)

XIII.

Si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponso sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi qui matrimonio interesse debebat seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. (Trid. Sess. 24. de ref. c. 1)

XIV.

Episcopi qui a crimine concubitus non abstinuerint, et a synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi. (Trid. Sess. 23. de ref. c. 44.)

XV.

Sacerdotes violantes decretum S. C. C. 9 Sept. 1874 circa eleemosynas missarum ipso facto incurrunt suspensionem a divinis S. Sedi reservatam; clerici vero nondum sacerdotio initiati ob idem delictum incurrunt suspensionem a susceptis ordinibus et praeterea inhabilitatem ad superiores ordines recipiendos. (1)

CAPUT IV.

DE INTERDICTO.

§ 1. QUID ET QUOTUPLEX SIT INTERDICTUM.

621. DEFINITIO. Interdictum est censura privans usu seu participatione divinorum officiorum et aliquorum sacramentorum, necnon ecclesiastica sepultura.

Facile patet qua ratione interdictum a *suspensione* distet. Cum excommunicatione autem eatenus convenit quatenus utrumque iisdem spiritualibus bonis privat; sed ab eadem discrepat, tum quia excommunicatus iis bonis non immediate privatur, sed per viam consequentiae, vid.

(1) Quid hoc decreto statuatur recole n. 232.

quatenus a communione fidelium segregatur, tum quia excommunicatus multo pluribus ecclesiasticis bonis privatur.

Quandam similitudinem cum interdicto habet *cessatio a divinis*. Haec est quaedam divinorum officiorum negatio, quam Ecclesia clericis sub praecepto injungit in signum tristitiae conceptae ob gravissimam injuriam sibi et honori divino illatam et in illius reparationem, ut hac ratione cogatur delinquens desistere ab injuria et exhibere satisfactionem. (Schmalzgr. in l. 5. Decr. t. 39. n. 402) Numquam tamen censura est, nec personas afficit, nec a Jure fertur. Indicta cessatione a divinis etsi in rigore Juris nulla alia sacramenta administrari possunt nisi baptismus et morientibus poenitentia cum Viatico, probabilius tamen, ex benignitate Ecclesiae, eadem sacramenta tunc administrari et recipi possunt ac tempore interdicti. (Schmalzgr. l. c. n. 412 seqq.)

Formaliter tum ab interdicto, tum a cessatione a divinis differt *prohibitio celebrandi divina*, quae ipso jure inducitur per ecclesiae pollutionem vel execrationem (n. 242. VI; n. 243. VIII); quoad effectus tamen non levis similitudo viget.

622. DIVISIO. Interdictum multipliciter distinguitur:

1^o In *personale, locale et mixtum*, prout immediate afficit vel personam, vel locum, vel utrumque simul.

2^o In *generale vel speciale*. Generale est quod fertur in personam moralem, ex. gr. in capitulum vel universitatem (*generale personale*), vel in locum generalem plura partialia loca complectentem (*generale locale*), ex. gr. in universam nationem vel civitatem. Speciale est quod fertur in singularem personam (*personale speciale*), vel locum, ex. gr. in unam ecclesiam. Ex his solum interdictum personale speciale rationem censurae proprie dictae habet: quia ob contumaciam rei fertur et cum ea cessare debet. (1)

3^o In *totale et parziale*. Totale habet omnes effectus qui breviter in definitione indicati sunt; parziale, quosdam tantum ex illis. Inter partialia speciatim attendi meretur, utpote magis usitatum, interdictum *ab ingressu ecclesiae*. Haec est pars interdicti personalis specialis, ideoque per se vera censura, cujus violatio irregularitatem secum trahit. Qui eam incurrit, nequit fungi divinis officiis in ecclesia celebrandis, vel iisdem interesse; probabilius tamen non prohibetur quominus in ecclesia oret, vel sacramenta recipiat, vel etiam officiis intersit in oratorio privato. Insuper ecclesiastica sepultura donari nequit, nisi poenitens obiverit. (D'Annib. I. n. 377)

(1) Interdictum generale locale a praxi hodierna alienum est: nullum enim latum est ab an. 1606 quo Paulus V Venetorum rempublicam interdicto subiecit.